



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

XI. De Missa cum duobus Acolythis solis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

Cavantus
Part. 2 tit.
2. num. 5.

2. Aliquando enim cantantur cum ministris sed absque Altaris incensatione, & Chori, sine Credentia, & Pace, & in his Subdiaconus paratus portat calicem, Diaconus item paratus librum, vel vice versa, dum procedunt ad altare. Diaconus, deposito libro descendit ad Celebrantem, cum quo facit Confessionem & Subdiacono, qui etiam explicato Corporali collocat Calicem in medio Altaris, vel id peragit Diaconus. Eodem etiam ritu & modo redeunt in Sacristiam finita Missa. Alia etiam observantur, secundum morem locorum & Congregationem; Sed hæc omnia & similia tolerantur potius quam conceduntur quia rubricæ nihil de simili Missa præscribuntur; cum videantur contra Rubricas Missalis, quæ nullam Missam præscribant præter solemnem aut priuatam, de quibus supra.

3. Sunt etiam aliæ Missæ, quæ quidem cantantur in quibusdam minoribus Ecclesijs sine Diacono & Subdiacono cum aliqua tamen solemnitate de quibus sequentibus titulis agetur. Rarò tamen sic cantari & Celebrari debent, & tantum in Ecclesijs in quibus vix est sufficiens ministrorū numerus, ut in quibusdam Ecclesijs collegiatis minoribus, & Parochialibus, & Regularibus secundum earum consuetudinem.

TITVLVS XI.

De Missa cum duobus Acolythis solis.

EX Rubricis Missalis colligitur quod aliquando possit dici Missa cum duobus Acolythis superpelliceis indutis, ob exiguum Clericorum numerum, hora ergo competenti paratur à Sacrista vel Acolytho, ea quæ sunt necessaria super altare, videlicet Calix, Missale, & cussinus: & super

Creden-

Credentiam, alter liber pro Epistola cantanda, & alia.

2. Celebrans verò hora congrua accipit de more in Sacristia, facta prius oratione, & lotis manibus, Sacra paramenta eum adiuuante Acolythis Ministro, & sic paratus procedit ad Altare sequens duos Ministros pares incedentes, ibique facta debita reuerentia; dato prius bireto primo Acolythis, stante à dextris suis, incipit Missam de more, respondentibus prædictis duobus Acolythis; hinc inde in plano genuflexis.

3. Si ante Missam fiat aspersio aquæ benedictæ Missale ipsius Celebrantis ponitur tantum super Credentiam initio; & primus Acolythus habens à sinistris alium, procedit ad Altare ante Celebrantem alba & Stola, vel etiam Pluiali, si fieri possit, indutum, ferens vas aquæ benedictæ. Ante altare Celebrans deposito bireto in manu alterius Acolythis genuflectit, & sic genuflectit, accepto aspersorio à ministro, qui prius illud & post manum Celebrantis osculatur, aspergit de more altare, se ipsum genuflexum, & postea alios vt supra.

4. Facta aspersione primus Acolythus deponit vas in loco congruo, capit librum de Credentia, & illum tenet à sinistris Celebrantis, qui ex eo cantat versus & Orationem. Interim alter Acolythus adfert de Sacristia manipulum, & Planetam Celebrantis, & Oratione finita, primus collocat Missale super altare & adiuuat socium suum exuentem Celebrantem Pluiali, eumque induit manipulo, & planeta: alter verò Pluiale reportat in Sacristiam, indeque redit ad altare, vbi genuflexus in plano à sinistris Celebrantis responderet cum socio eidem Celebranti facienti Confessionem.

5. Peracta Confessione, manent genuflexi hinc inde

hinc inde in utroque latere Altaris, & dum dicitur *Kyrie eleyson* respondent Celebranti, & sic permaneat, nisi fortè ex accidenti surgere debeant ad Epistolam, & alia vt infra.

6. Circa finem primæ vel ultimæ Orationis, primus Acolythus capit librum de credentia & cantat Epistolam, qua finita, redit in locum suum vt supra capite præcedenti dictum est. Alter verò respondet Celebranti *Deo gratias*, in fine Epistolæ.

7. Circa finem Gradualis primus defert Missale cum Cussino ad latus Euangelij, eoque posito, redit ad locum suum in plano. Celebrans verò cantat Euangelium de more, ad quod ambo hinc inde in plano stant, & de more signantes & genuflectentes, quando opus est, eoque dicto, genuflectunt.

8. Lecto offertorio à Celebrante, primus ampullas ei ministrat; ad lotionem manuum ipsius, idem ministrat ampullam aquæ, & bacile, alter mappulam & ille defert campanulam ad altare pulsandam de more ad *Sanctus*, & eleuationem, & ambo respondent Celebranti, *Oratio fratres*, dicenti.

Ad *Sanctus* primus campanulam pulsat, accendit cereum vnicum vel duos cereos, si tot sint. Tum reuersus ad supremum gradum altaris genuflexus, dextera pulsat campanulam & sinistra eleuat Planetam ad eleuationem.

9. Accensis cereis, genuflectunt, & ambo se signant & pectus percutiunt, vt supra, cum Celebrante. Si facienda sit communio seruentur quæ supra dicta sunt.

10. Paulò ante sumptionem Sanguinis, primus Acolythus surgit, defert campanulam ad Credentiam, capit ampullas cum bacili, & ministrat eas Celebranti cum osculis eorum tantum, & incli-

& inclinationibus solitis. Tum redit ad altare, ubi extinguit cereum qui est à parte Epistolæ, ibique postea genuflectit vt prius. Secundus vero surgit dum Celebrans se purificat, defert librum ad cornu Epistolæ & postea, si opus sit, extinguit alium cereum qui est in cornu Euangelij, ibique genuflectit vt prius.

11. Ad benedictionem ambo genuflexi, se signant, sicut ad Euangelium stantes: & si aliud Euangelium sit legendum, primus Acolythus, mutat librum, & ad cornu Epistolæ redit, ubi capit biretum Celebrantis.

13. Finita Missa Celebrans descendit in planum, ubi facta debita reuerentia, & sumpto bireto redit ad Sacristiam vt venerat, ibi Acolythis facta Cruci reuerentia adiuuant Celebrantem dum se exiit, & ministrant aquam, & manutergium, vt in initio Missæ.

TITVLVS XII.

De Missa qua cantatur cum vno solo Clerico.

1. **C**Antatur etiam aliquando Missa cum vno solo ministro in ordinibus minoribus constituto vt in Rubricis Missalis notatur. In simili autem Missa Altare nunquam thurificatur, nec datur Pax, nisi fortè cum instrumento.

2. Ad Epistolam Celebrans sibi respondet *Deo gratias.* Ad versum *Et incarnatus est.* Celebrans genuflectit super altiorem gradum Altaris.

3. Clericus superpelliceo indutus genuflexus, manet in cornu Euangelij, ibique respondet Celebranti cum opus est.

4. Circa